

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IV - N. 1

1972

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1972

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutiones

I. Iis qui apud Gregorianam studiorum Universitatem, « Cursui renovationis canonicae » interfuerunt	3
II. Ad Praelatos Auditores, et Officiales Tribunalis S. R. Rotae	5

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

Declaratio ad fidem tuendam in Mysteria Incarnationis et SS. Trinitatis a quibusdam recentibus erroribus	9
--	---

Secretaria Status

Notificatio	14
-----------------------	----

Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis

De promovendis ad Episcopatum in Ecclesia Latina	15
--	----

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

Instructio de quibusdam emendationibus circa normas in processu super matrimonio rato et non consummato servandas	21
---	----

S. Congr. pro Clericis

De obligatione Sacrum litandi pro populo	29
--	----

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

Responsa ad proposita dubia	30
---------------------------------------	----

ACTA COMMISSIONIS

Coetuum studiorum labores	31
De procedura administrativa	35
Opera consultorum	39
1. De clericis et S. Hierarchia	39
2. De sacramentis	51
De SS. Eucharistia	51
3. De iure processuali recognoscendo	59

DOCUMENTA

Oratio Card. P. Felici	73
----------------------------------	----

NOTITIAE	79
--------------------	----

III

OPERA CONSULTORUM
IN PARANDIS CANONUM SCHEMATIBUS

1

DE CLERICIS - DE SACRA HIERARCHIA

Uti iam antea notatum est,¹ Coetui *de Clericis*, postea qui vocatus est *de Sacra Hierarchia*, incumbit recognitionem apparare plurimorum Codicis I. C. canonum qui habentur in Parte prima *De clericis*, Libri II Codicis I. C.

In priore de opere consultorum huius coetus relatione, traditus est conspectus canonum propositorum de Clericorum adscriptione seu incardinatione, de obligationibus et iuribus clericorum necnon de amissione status clericalis.²

Modo brevis exponitur conspectus canonum qui proponuntur de Circumscriptionibus ecclesiasticis atque de Conciliis particularibus et Episcoporum Conferentiis.

I

DE CIRCUMSCRIPTIONIBUS ECCLESIASTICIS

Canones qui hac sub rubrica proponuntur recognitas praebent normas canonum Codicis I. C. 215-217, sed latius patent normae recognitae quam praescripta Codicis. Titulus enim « de Circumscriptionibus ecclesiasticis » propositus, complectitur imprimis unum canonem, ad modum introductionis, et deinde duas partes, in quibus normae praebentur *de Ecclesiis particularibus* atque *de Provinciis ecclesiasticis et Regionibus ecclesiasticis*.

Prooemium

Canon quo universa haec materia introducitur tres complectitur paragraphos.

In § 1 generalis habetur de circumscriptionibus ecclesiasticis enumeratio: In Ecclesia universalis (latina) exstant Ecclesiae particulares, i.e.

¹ Cfr. *Communicationes*, 3, 1971, p. 187.

² Cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 187-197.

dioeceses aliaeque fidelium communitates quae in iure dioecesibus aequiparantur. Ecclesiae vero particulares communitatesque eisdem aequiparatae in diversas Provincias ecclesiasticas coniunguntur. Quae autem Provinciae ecclesiasticae et ipsae in varias regiones ecclesiasticas coniungi possunt.

In § 2 norma proponitur communis quoad constitutionem, suppressionem et innovationem tum Ecclesiarum particularium tum Provinciarum ecclesiasticarum et Regionum ecclesiasticarum: videlicet ea runderem constitutio, suppressio sicut et quaevis innovatio ab una pendent Suprema Ecclesiae auctoritate, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis.

In § 3, generalis, quae in Codice I. C. deest, norma proponitur de earundem personalitate iuridica seu canonica: Ecclesiae particulares, Provinciae ecclesiasticae et Regiones ecclesiasticae legitime erectae personalitate canonica seu iuridica gaudent.

1. De Ecclesiis particularibus

1. Ecclesiarum particularium communitatumque eis aequiparatarum definitio. - Ut declaratur in Constitutione dogmatica « Lumen gentium », n. 23, unica Ecclesia catholica seu Ecclesia universa in Ecclesiis particularibus et ex eis existit. Ecclesiae particulares ad imaginem Ecclesiae universae sunt formatae atque in eis Episcopi singuli visibile principium et fundamentum sunt unitatis.

Sensu proprio et pleno itaque *Ecclesia particularis est dioecesis* seu populi Dei portio quae Episcopo alicui, cum cooperatione presbyterii, pascenda concreditur. Id clare elucet ex definitione dioecesis, quae traditur in Decreto « Christus Dominus », n. 11. Itaque in canone aliquo proposito traditur dioecesis definitio sicut habetur in dicto Decreto, n. 11, videlicet: « Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur Una Sancta et Apostolica Christi Ecclesia ».

Ecclesia particulari in iure aequiparantur aliae fidelium communitates: ipsi, nisi aliud constet, assimilantur Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, Praelatura et Abbatia cum proprio populo christiano (quae in iure Codicis dicuntur Praelatura et Abbatia nullius), atque Administratio Apostolica; ipsi aequiparatur quoque, nisi aliud ex rei natura aut iuris praescripto appareat, Praelatura personalis, de qua

in can. 111, § 3 (recognita). Agitur nempe de Praelatura personali, cui quidem competit sibi incardinare clericos qui mittantur ad servitium sacrum praestandum in aliqua Ecclesia particulari cleri inopia laborante aut destinentur ad opera pastoralia vel missionalia, perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus, qui speciali indigent adiutorio.³

Definitio quidem etiam traditur earundem communitatum quae dioecesi seu Ecclesiae particulari proprie dictae aequiparantur.

Abbatia et Praelatura cum proprio populo (in Codice: *Abbatia et Praelatura nullius*) definitur communitas fidelium, cuius cura committitur alicui Abbatii aut Praelato, proprio eiusdem pastori, quae vero in dioecesim non constituitur sive quia specialia habentur adiuncta, sive quia personalem habeat indolem, complectens scilicet solos fideles speciali quadam ratione devinctos; huiusmodi sunt Praelatura castrenses quae Vicariatus castrenses quoque vocantur.

Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica, etiam est populi Dei portio, quae, ob peculiaria adiuncta in dioecesim nondum est constituta quaque pascenda concreditur Vicario Apostolico aut Praefecto Apostolico, ut eam nomine Summi Pontificis regat.

Administratio Apostolica item est certa populi Dei portio, sed quae ob speciales et graves rationes in dioecesim non erigitur, et cuius cura pastoralis committitur Administratori Apostolico, qui eam nomine Summi Pontificis regat.

2. *Ecclesiarum particularium communitatumque eis aequiparatarum circumscripicio seu determinatio.*

Breves normae proponuntur, in quibus attenduntur principia quae de dioecesium circumscriptione habentur in Decreto « Christus Dominus », n. 22 et 23.

Regula est ut portio Dei populi quae dioecesim aliamve communatem particularem constitutat certo territorio circumscribatur, ita ut comprehendat omnes fideles in territorio habitantes. Sane, uti enuntiantur inter Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant, « Ecclesiae particulares certocertius hodie definiri nequeunt partes territoriales in Ecclesia constitutae, sed, secundum praescriptum Decreti *Christus Dominus*, n. 11, singulae sunt “Populi Dei portio...”. Cum tamen in determinanda Dei Populi portione, quae Ecclesiam particularem constituit, territorium quod christifideles inhabitant plerumque uti aptior haberi possit ratio, momentum servat territorium,

³ Cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 4; cfr. etiam *Communicationes*, 3, 1971, pp. 189-190.

non quidem ut elementum Ecclesiae particularis constitutivum, sed uti elementum determinativum portionis Populi Dei, qua haec Ecclesia definitur. Quare, tamquam regula haberi potest hanc portionem Populi Dei determinari territorio, sed nihil impedit quominus, ubi utilitas id suadeat, aliae rationes, uti fidelium ritus vel natio etc., insimul saltem cum territorio, tamquam criteria communitatis fidelium determinantia admitti possint ».⁴

Exceptiones eidem regulae admittuntur, easque decidere pertinet ad Supremam Ecclesiae Auctoritatem, auditis Episcoporum Conferentiis quarum interest. *Ratione ritus* distincti fidelium necnon alius causae erigi possunt dioeceses diversae aut Praelature in eodem territorio. *Ratione alius causae* quam ritus diversitatis etiam constitui possunt pro certis fidelium coetibus *Praelatura personales*, nullo territorio circumscriptae.⁵

3. Ecclesiarum particularium communitatumque eis aequiparatarum partitio.

a) *Paroeciae* constituantur, scilicet: cuiuslibet dioecesis aliasve circumscriptionis eidem aequiparatae communitas dividatur in distinctas partes seu paroecias, quae et ipsae sunt fidelium communitates seu Dei populi portiones, cuius cura pastoralis parocho committitur. Notetur in textu recognito supprimi distinctionem inter paroecias et quasi-paroecias.

Eas erigere, supprimere aut innovare unius est Episcopi dioecensi — non vero Vicarii Generalis nec Vicarii Episcopalis sine speciali mandato — et quidem auditio Consilio presbyterali.

Ad paroeciarum determinationem seu circumscriptionem quod attinet, regulariter et ipsae territorialiter debent esse circumscriptae. Attamen, quoties et quamdiu utilitas curae pastoralis id suadeat, potest Episcopus dioecesanus, item auditio Consilio presbyterali, s.d. personales constituere paroecias, complectentes nempe solos fideles determinato ritu aut certa natione vel sermone aliave ratione determinatos in eadem civitate aut territorio degentes. Non ergo requiritur indultum apostolicum ad erectionem paroeciarum s.d. personalium, uti in iure Codicis (can. 216, § 4).

Tandem de paroeciis affirmatur, quod quae legitime erectae sunt ipso iure personalitate canonica gaudent.

⁴ Cfr. *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, Civ. Vaticana, 1957, p. 15; *Communicationes*, 1, 1969, p. 84.

⁵ Cfr. *Decretum Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

b) *Vicariatus foranei*, qui etiam veniunt nomine decanatus vel archipresbyteratus, secundum necessitates actionis pastoralis, consti-tuantur ab Episcopo dioecesano, auditio Consilio presbyterali. In vica-riatus foraneos coniunguntur plures paroeciae vicinae, praesertim ut curae pastorali, etiam per communem, ubi id expediat, diversarum paroeciarum actionem, provideatur.⁶

c) *Districtus dioecesani*, maiores scilicet districtus diversis vica-riatibus foraneis constantes, quibusque praeest Vicarius episcopal, erigi possunt ab Episcopo dioecesano, item auditio Consilio presbyterali, ubi id suadeat curae pastoralis utilitas.⁷

2. De Provinciis ecclesiasticis et Regionibus ecclesiasticis

1. *Provinciae ecclesiasticae* erigendae sunt, constantes nempe diversis Ecclesiis particularibus vicinioribus.

Norma de eis traditur conveniens cum praescripto Decreti « Christus Dominus », n. 40, 2º, quo statuitur id quod sequitur: « Pro regula habeatur ut omnes dioeceses aliaeque territoriales circumscriptiones quae iure dioecesis aequiparantur alicui provinciae ecclesiasticae ad-scribantur. Proinde dioeceses quae nunc Apostolicae Sedi immediate sint subiectae quaeque nulli alii uniantur, aut in novam provinciam ecclesiasticam, si id fieri possit, sunt simul componendae aut illi pro-vinciae aggregandae, quae vicinior seu opportunior sit, et iuri metro-politico Archiepiscopi sunt subiiciendae ad normam iuris ». Itaque proponitur norma, vi cuius omnes et singulæ dioeceses atque quae ad normam iuris ipsis assimilantur communitates, provinciae ecclesiasticae adscribi debent, ita ut dioeceses exemptæ deinceps non habeantur.

Norma insuper proponitur haec alia, cuius ratione singulæ Provin-ciae ecclesiasticae subsunt auctoritati Concilii provincialis et Metropo-litae, ad normam iuris, atque quae Provinciae ecclesiasticae non per-tinent ad regionem ecclesiasticam, insuper subsunt auctoritati Episco-porum Conferentiae, ad normam iuris.

2. *Regiones ecclesiasticae*, constantes nempe diversis provinciis ec-clesiasticis in eadem natione aut in eodem territorio constitutis, erigi debent. Nova est haec forma circumscriptionis ecclesiasticae, quae quidem in iure Codicis non habetur. Requiritur autem, cum in Decreto « Christus Dominus », n. 40, 3º, statutum sit: « Ubi utilitas id

⁶ Cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, 19.

⁷ Cfr. Decretum *Christus Dominus*, 23 et 27.

suadeat, provinciae ecclesiasticae in regiones ecclesiasticas componantur, quarum ordinatio iure est statuenda ».

Ad hanc ordinationem quod attinet, haec quae sequuntur propo-nuntur praescripta.

a) Iudicium decisioque de erigendis Regionibus ecclesiasticis pertinet ad Supremam Ecclesiae Auctoritatem, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis.

b) Pro regula habeatur ut Regio ecclesiastica comprehendat omnes provincias ecclesiasticas in eadem natione constitutas. Attamen, ubi adjuncta personarum ac rerum id suadeant, erigi potest Regio ecclesiastica sive quae aliquas tantum provincias ecclesiasticas in natione constitutas complectatur, sive quae provincias ecclesiasticas in diversis nationibus erectas comprehendat.

c) Regiones ecclesiasticae subsunt auctoritati Concilii regionalis (quod in iure Codicis appellatur Concilium plenarium, et saepe reipsa erat nationale) atque Episcoporum Conferentiae regionis, ad normam iuris. Duplex itaque est auctoritas in Regione ecclesiastica, scilicet Concilium regionale atque Episcoporum Conferentia regionis, quae competentia gaudent iure determinata.

d) Regiones ecclesiasticae dividi possunt in diversos districtus regionales, et iis singulis praeest Episcoporum Conferentia districtus. Est haec Conferentia quae hodie reipsa Conferentia regionis vocatur, sed Conferentia districtus regionalis appellanda est.

II

DE CONCILIIS PARTICULARIBUS ET DE EPISCOPORUM CONFERENTIIS

Quae sub hac rubrica proponuntur canones, imprimis recognitam praebent legislationem Codicis canonum 281-292, de Conciliis plenariis et provincialibus, et deinde nova proponunt praescripta de Episcoporum Conferentiis, innixa quidem praescriptis quae habentur in Decreto « Christus Dominus », nn. 37 et 38, necnon in Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae », I, n. 41.

Hic etiam titulus complectitur aliquem canonem, ad modum Prooe-mii, et deinde duas partes, in quibus successive praebentur normae de Conciliis particularibus et de Episcoporum Conferentiis.

Praeludium

In hoc Praeludio de fine et utilitate agitur Conciliorum particularium atque Episcoporum Conferentiarum, in quibus nempe sacrorum Antistites singularum regionum et provinciarum ecclesiasticarum *co-niunctim*, secundum iuris praescripta, munus suum pastorale exercent, et exercere debent. Textus Praeludii innititur declarationibus quae habentur in Decreto « Christus Dominus », nn. 3, 36 et 37.

1. De Conciliis particularibus

Distinguuntur *Concilia regionalia* (quae in iure Codicis nuncupantur plenaria), pro omnibus scilicet Ecclesiis particularibus eiusdem regionis ecclesiasticae, et *Concilia provincialia*, pro diversis Ecclesiis particularibus eiusdem provinciae ecclesiasticae.

Normae quae proponuntur respiciunt: 1º tempus eorundem celebrationis; 2º eorundem Conciliorum convocationem atque ordinationem; 3º eorundem membra: definitur nempe quinam ad eadem convocandi sint quinamque ad ea vocari possint, quinam in iisdem iure gaudeant suffragii deliberativi, quinam iure suffragii consultivi tantum; 4º eorundem Conciliorum potestatem et decretorum quae ferunt vim obligandi.

1. *Tempus celebrationis Conciliorum particularium.* - Ad normam iuris Codicis I. C. Concilium provinciale in singulis provinciis ecclesiasticis celebrandum est vicesimo saltem quoque anno (can. 283), Concilium vero plenarium celebrari potest, si id utile aestiment Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum, sed petita prius venia a Romano Pontifice (can. 281). In textu legislationis recognitae propontitur, e contra: 1º ut Concilium regionale, pro universa scilicet regione ecclesiastica, celebretur vicesimo saltem quoque anno, et quoties id Episcoporum Conferentia regionis, approbante Apostolica Sede, necessarium aut utile aestimaverit; 2º ut Concilium provinciale, iis in provinciis ecclesiasticis quae regioni ecclesiasticae non adscribuntur, item vicesimo quoque anno celebretur, necnon quoties id utile videatur; 3º ut tandem Concilium provinciale, iis in provinciis ecclesiasticis quae regioni ecclesiasticae adscribuntur, celebrari possit quoties id, de iudicio maioris partis Episcoporum Provinciae, opportunum videatur.

Maius momentum ita tribuitur Concilio regionali, quam Concilio provinciali, et quidem hac ratione quia hodie cooperatio inter omnes Episcopos alicuius nationis aut universi cuiusdam territorii magis necessaria apparet atque maxime conferre potest ad fidem apte docendam et tuendam atque ad disciplinam ecclesiasticam fovendam.

2. *Convocatio et ordinatio Conciliorum particularium.* - Convocatio horum Conciliorum, determinatio loci celebrationis, intra territorium Provinciae aut regionis ecclesiasticae, definitio quaestionum tractandarum, necnon Conciliorum translatio, prorogatio et absolutio pertinent: 1° pro Concilio regionali, ad Episcoporum Conferentiam regionis; 2° pro Concilio provinciali, ad Metropolitam, una cum Episcopis suffraganeis provinciae ecclesiasticae. Sede archiepiscopali vacante, Concilium provinciale convocari non potest.

Munere praesidis fungitur: 1° in Concilio regionali, Episcopus ab Episcoporum Conferentia electus atque, adepta Apostolicae Sedis approbatione, institutus; 2° in Concilio provinciali, Metropolita, eoque legitime impedito Episcopus suffraganeus ab aliis Episcopis suffraganeis electus.

3. *Conciliorum particularium membra.* - *Ad Concilia regionalia et Concilia provincialia quod attinet.*

1. Ad eadem convocari *debent*, atque in eis ius habent *suffragii deliberativi*: Episcopi dioecesani regionis, aut provinciae, omnes itemque omnes locorum Ordinarii, vicariis generalibus et episcopalibus exceptis; Episcopi coadiutores et auxiliares in aliqua regionis, aut provinciae, Ecclesia particulari; item alii Episcopi titulares qui peculiari munere sibi ab Apostolica Sede aut ab Episcoporum Conferentia demandato in territorio funguntur.

2. Ad eadem Concilia vocari *possunt* alii Episcopi titulares in territorio degentes, quibus ius est *suffragii deliberativi aut consultivi*, prout id decernit auctoritas cuius est convocare Concilium.

3. Ad eadem Concilia vocari *debent*, ita tamen ut non gaudeant nisi *suffragio consultivo*: Vicarii generales et episcopales territorii; Superiores maiores institutorum religiosorum et saecularium, numero ab Episcoporum Conferentia aut Provinciae Episcopis determinando, electi a Superioribus maioribus Institutorum qui in territorio sedem habent; Rectores Universitatum catholicarum atque Decani Facultatum S. Theologiae et SS. Canonum, quae in territorio sedem habent; Rectores aliqui Seminariorum maiorum, item numero determinando, et electi a seminariorum Superioribus.

4. Ad eadem vocari etiam *possunt*, ita tamen ut *suffragio consultivo* tantum gaudeant: presbyteri ex utroque clero; religiosi; laici sive viri sive mulieres.

5. Ad eadem tandem etiam quicunque alii *ut hospites* invitari valent.

Ad Concilia provincialia praeterea invitentur Capitula cathedralia itemque Consilium presbyterale et Consilium pastorale uniuscuiusque Ecclesiae particularis cuius Ordinarius vocari debet, ita vero ut eorum singula duos ex membris mittant procuratores, collegialiter ab iis designatos; qui tamen votum consultivum tantum habent.

Praescripta quae in Codicis I. C. canone 287 statuuntur, servantur.

4. *Conciliarum particularium potestas atque decretorum vis obligandi.* - Concilium regionale et Concilium provinciale pro suo quodque territorio gaudent potestate regiminis, praesertim legislativa, salvo semper iure superioris instantiae. Decernere valent quae ad fidei incrementum, ad actionem pastoralem communem ordinandam, ad moderandos mores et ad disciplinam ecclesiasticam communem pertinent.

Decreta Conciliarum particularium ne promulgentur nisi postquam ab Apostolica Sede expensa et recognita fuerint.

Eadem Decreta, legitime promulgata, modo quidem ab ipso Concilio determinando, obligant in universo regionis, aut provinciae, territorio.

Quaestio poni potest, et considerata est in consultorum coetu studiorum, utrum necessarium sit ut servetur institutum Concilii regionalis et Concilii provincialis. Arguere enim quis posset Episcoporum Conferentiis tribui posse competentiam, quam Codex I. C. agnoscit Conciliis particularibus, in specie Concilio regionali quod nunc dicitur.

Sane, secundum praescripta quae Concilium Vaticanum II tulit in Decreto « Christus Dominus », n. 38, 4°, etiam Episcoporum Conferentiae regionis aliqua gaudent potestate legislativa. Attamen, haec potestas, uti ex eodem Decreto appareat, magis est restricta quam potestas quae Conciliis particularibus agnoscitur. Altera ex parte Concilium Vaticanum II intendit ut servarentur Concilia particularia. De iisdem enim agens, in Decreto « Christus Dominus », n. 36, haec declarat quae sequuntur: « Exoptat haec Sancta Oecumenica Synodus ut veneranda synodorum et Conciliarum instituta novo vigeant vigore, quo aptius et efficacius fidei incremento disciplinaeque conservationi in variis Ecclesiis, pro temporum adiunctis, provideatur ». Praeterea, necessaria cooperatio inter Episcopos regionis, habitualis quae requiritur, fieri potest in Episcoporum Conferentiis; sed necesse videtur ut certis temporibus latior quaedam de necessitatibus regionis aut pro-

vinciae ecclesiasticae habeatur disceptatio, in qua partem habent non tantum Episcopi qui membra sunt Episcoporum Conferentiae, sed et alii non pauci, quos ad omnes et singulas Conferentiae congregations convocare impossibile appareat.

2. De Episcoporum Conferentiis

Qui in schemate de Episcoporum Conferentiis proponuntur canones innituntur praesertim, uti patet, praescriptis Decreti « Christus Dominus », nn. 37 et 38, necnon Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae », I, n. 41, quo quidem normae traduntur ad exsequenda dicti Decreti praescripta exsequenda.

Normae quae proponuntur attinent ad constitutionem Episcoporum Conferentiarium, ad eorundem membra, ad eorum statuta et ordinationem, ad eorum conventus plenarios seu congregations generales earumque potestatem, ad Consilium Episcoporum permanens, ad Conferentiae Secretariam generalem necnon ad relationes inter Episcoporum Conferentias diversarum regionum ecclesiasticarum.

1. Episcoporum Conferentiae constitutio.

1) Constitui *debet* Episcoporum Conferentia: 1º in singulis regionibus ecclesiasticis; regio autem ecclesiastica, uti supra dictum est per se seu regula generali complectitur omnes provincias ecclesiasticas in eadem natione constitutas; exceptionis causa maior aut minor esse potest; 2º item in districtibus regionalibus in regione ecclesiastica legitimate erectis; 3º etiam in provinciis ecclesiasticis regionis ecclesiasticae non adscriptis.

2) Constitui *potest* sed tantum approbante Apostolica Sede, pro pluribus simul regionibus ecclesiasticis; hoc casu est supraregionalis.

2. Membra Episcoporum Conferentiae.

Norma definiens quinam membra sint Episcoporum Conferentiae desumitur ex Decreto « Christus Dominus », n. 38, 2º. Itaque *ipso iure* ad Episcoporum Conferentiam pertinent omnes locorum Ordinarii, vicariis generalibus et episcopalibus exceptis; item Episcopi coadiutores, Episcopi auxiliares, necnon ceteri Episcopi titulares peculiari munere, sibi ab Apostolica Sede aut ab Episcoporum Conferentia demandato, in territorio fungentes. Idem sunt membra, sed non omnes ideo iure gaudent suffragii deliberativi, ut infra dicetur, ubi de conventibus plenariis agitur.

Uti in ipso Decreto « Christus Dominus », additur ceteros Episcopos titulares necnon Legatum Romani Pontificis non esse *de iure* membra Conferentiae.

3. *Statuta Episcoporum Conferentiae eiusque ordinatio.*

Obligatio Episcoporum Conferentiae sua conficiendi statuta enuntiatur iisdem substantialiter verbis quibus utitur Decretum « Christus Dominus », n. 38, 3°.

Ad ordinationem quod attinet: 1) statutis ordinentur conventus plenarii Conferentiae habendi, et provideantur Consilium Episcoporum permanens, Secretaria generalis Commissionis necnon alia officia atque Commissiones quae, iudicio Conferentiae, requiruntur; 2) quaelibet Conferentia sibi eligat praesidem determinetque quinam, Praeside legitime impedito, munere Propraesidis fungatur; pariter Secretarium generale Conferentiae constituat. Praesidis est conventibus generalibus Conferentiae praeesse.

4. *Conventus plenarii seu congregaciones generales Conferentiae.*

1) Haberi debent semel saltem singulis annis, sed haberi possunt quoties id adiuncta suadeant, iuxta statutorum praescripta.

2) Suffragium deliberativum in iis habent: *a)* ipso iure locorum Ordinarii, membra de iure Conferentiae, necnon Episcopi coadiutores in Ecclesiis particularibus territorii; *b)* si statuta hoc ius ipsis concedunt, Episcopi auxiliares ceterique Episcopi qui ad Conferentiam de iure pertinent; secus ipsis non est nisi ius suffragii consultivi.

3) *Decreta* ab Episcoporum Conferentia edicta *vim legis* tantum habent, si verificantur conditiones statutae Decreto « Christus Dominus », n. 38, 4°. Itaque *a)* requiritur fuerint prolata circa casus seu materias quae iure communi aut speciali Apostolicae Sedis mandato, sive motu proprio sive ad petitionem Conferentiae dato, ad competentiam Conferentiae pertinent; *b)* requiritur fuerint legitime et per duas saltem ex tribus suffragiorum Praesulum voto deliberativo frumentum prolata; *c)* requiritur insuper, ut vim definitivam obligandi habeant, ut ab Apostolica Sede fuerint recognita; *d)* tandem necesse etiam est ut legitime promulgata fuerint; modus vero promulgationis et tempus vacationis ab ipsa Episcoporum Conferentia in statutis determinari debent.

His verificatis conditionibus, *Decreta* Conferentiae obligant in suo cuiusque territorio universo; ab iis, in casibus particularibus tantum, dispensare valent locorum Ordinarii, iusta quidem de causa.

4) Absoluto conventu plenario Episcoporum Conferentiae, libelli actorum ad Apostolicam Sedem mitti debent.

5. Consilium Episcoporum permanens.

Hoc Consilium, quod statutis constitui debet, haec quae sequuntur habet munera:

- a) curare debet ut res in plenario conventu Conferentiae agendae rite praeparentur;
- b) providere debet ut decisiones in conventu plenario statutae debite executioni mandentur;
- c) alia quoque perficere debet, quae ipsi ad normam statutorum committuntur.

6. Secretaria generalis.

Haec Secretaria, etiam statutis constituenda et determinanda, diversa habet munera, quorum praecipua enuntiantur:

- a) ipsius est relationem componere omnium decisionum et actorum conventus plenarii Conferentiae et Consilii permanentis easque cum omnibus membris communicare; ipsius etiam est alia conscribere acta, quae ipsi a Praeside aut a Concilio permanente componenda committuntur;
- b) ipsius item est acta conventuum pleniorum, de mandato Praesidis, ad Apostolicam Sedem transmittere;
- c) ipsius tandem est cum Episcoporum Conferentiis finitimarum regionum communicare acta et documenta, quae eisdem transmittenda statuant sive Conferentia in plenario conventu sive Consilium Episcoporum permanens.

7. Relationes inter diversas Episcoporum Conferentias.

Duplex generalis de eisdem statuitur regula. Imprimis, secundum praescriptum Decreti « Christus Dominus », n. 38, 5°, affirmatur fo-vendas esse relationes inter Episcoporum Conferentias, praesertim finitimarum regionum. Deinde, secundum praescriptum Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae », I, n. 41, 4°, statuitur de Conferentiarum actionibus a Conferentiis initis quae formam internationalem praeseferunt monendam esse Apostolicam Sedem (W. Onclin, *Relator*).